


ADVOCATORVM  
SACRI CONSISTORII  
SYLLABVM  
CAROLVS CARTHARIUS  
EX VRBE VETERI  
EORVNDEM DECANVS  
ET ARCHIVI APOSTOLICI MOLIS HADRIANÆ PRÆFECTVS  
EX ARABAT.



ALMA IN VRBE SVPERIORVM ASSENSV  
ANNO MDCLVI. AB ORBE REDEMPTO  
ZENOBIUS MASOTTVS TYPIS CAMERALIBVS IMPRIMEBAT.

## CCLVI.



RANCISCVS. CVLTELLVS Bononiensis . Ex Antonio,  
Annibalis I. C. Cultelli, & Iulia, Cæsar de Zanis de Bononia  
natus . Mense Octobris 1592. in utroque iure laureatus fuit in  
Patria . Nicolao Zambeccario Consistoriali Aduocato vita  
functo, Gregorius XV. in vacantem locum Fabium Albergat-  
um ipsius Pontificis affinem (Nicolai Albergati S. R. E. Cardi-  
nalil Ludouisi nuncupati germanum fratrem) designauerat ,  
sed repentina Fabij inter Patres Societatis Iesu aggregatio  
promulgationem prohibuit . Viuebat Cultellus in foris Vrbis  
versatissimus , Fabricæq. Vaticanæ Basilicæ Aduocatus, dum anno 1612. Aduocatorum  
Consistorialium Consortio datus fuit . Aduocati pauperum coadiutoriam gessit . Ro-  
mani Gymnasij Rector sacerdote deinde deputatus . In publico Consistorio , die Iouis pri-  
ma Aprilis 1632. conuocato, eleganti oratione præclara Hieronymi Æmiliani, Congre-  
gationis Somaschæ fundatoris, facinora indicauit . Decanatum Collegij anno 1643. a  
Rubeo dimissum optauit . Eodem anno, dieq. tertia Decembbris in publico Consistorio  
Iosephi a Leonissa Ordinis Capuccinorum virtutes enarravit . Anno 1647. mense Sep-  
tembris die Mercurij 18. hora 16. ætatis suæ anno 75. mortalia deseruit, & in postremo,  
quod condidit, suæ voluntatis elogio, erga Aduocatorum Consistorialium Collegium  
benevolentiam patefecit : Sequenti die in sacra Prædicatorum Æde, præsentibus Colle-  
gis Aduocatis, Studijq. Professoribus, solemnni funere iustis persolutis , fuit ibi caderet  
terræ traditum . Floruit in Vrbe Franciscus Christiana pietate, legumq. peritia non exi-  
guè commendandus; Ludouisijs Principibus charus, & ipsorum vberiùs munificentiam  
expertus fuisset, nisi Gregorij XV. mors spem succidisset . De ipso Alidosius inter Iuris-  
consultos Bononienses pag. 88. Francesco d'Antonio dal Coltelllo a . . . d'Octobre 1592.  
E nel Collegio de' Giudici : & in appendice pag. 26. Francesco Coltellli 1592. E nel Collegio ci-  
nile, & Aduocato Concistoriale in luoco del Zambeccari . Ha in Stampa Consegli , at quoad  
Consilia, æquiuocum cum Franciscu patruo, opinor ,

Romana emicuit in Aula Franciscus Cultellus senior, Antonij germanus frater, Fran-  
cisci nostri patruus, Iureconsultus insignis, qui a Farin. q. 39. de indit. & tortur.nu. 116.  
appellatur celeberrimus illius temporis Aduocatus , & eius Consilium ibi annexetur : num.  
147. doctissimus : & cons. 136. num. 17. famosissimus nuncupatur : iterumq. in tit.de var.  
ac diuersi. quest. q. 103. alterum ipsius Responsum inseren\$, vocat illum num. 222. do-  
ctissimum virum Franciscum Cultellum Bononiensem, dum vixit, in criminali materia pri-  
marium Vrbis Aduocatum . De eodem sic loquitur epitaphium, in Prædicatorum Romano  
Templo marmore extructum .

Francisco Cultello nobili Bononiensi I. V. C. Præclarissimo  
ob spectatam eius integritatem, cæteraq. virtutum suarum merita  
quatuor Summorum Pontificum  
Iulij III. Marcelli II. Pauli IV. & Pij IV.  
gratia

Apostolici Acerij Fisci Procuratori  
vt prouinciaz, & muneris sibi commissi  
strenue, prudenterq. ac maxima cum pietate  
administranti

singularis vitæ probitatis, egregiæ peritiæ, & eruditioñis  
illius memoria conseruaretur  
hoc sibi monumentum

Nicolaus, & Antonius fratri amantissimo


non

## CCLVII.

A non sine lacrymis, & mœrore posuere .

Vixit ann. XLVI. Mens. VIII. Dies XXVI.

Obiit Anno Sal. MDLXIV. Prid. Kal. Septembris .



ANTONIUS CERRVS Papensis . Ex Ioanne Christophoro ( filio Ioannis Iacobi de Cerris , & Mariæ Galarratæ ) & Angela , Antonini de Cataneis Mortariæ natus . In Papensi Ciuitate iuridica laurea anno 1595 . donatus , ibidem Iustiniani Institutiones penè adolescens , summa cum astantium admiratione , publicè professus est . Romanum demigratus , ibi Aduocati munere perfunctus est tanta cum omnium laude , ut nedum primarius esse , & haberi meruerit , sed vnioco forsitan exemplo , omnium ferè Italizæ , Vrbisq . Principum patrocinio præfulserit : Hoc nomine Excellentissimæ Barberinæ Prosapiæ , inter alias potissimum addicctus erat , & apud Maphaeum S.R.E. Cardinalem Barberinum , literatorum Mœcenatem celeberrimum benevolentia sibi pepererat , quando ad summi Apostolatus fastigium hic idem electus , & Vrbanus VIII . nuncupatus , statim , nempe die quinta Decembris 1623 . Motu proprio , Antonium ( verba Brevis ) Sanctitatis sue Cubicularium secrsum , licet uxoratum adhuc , Palatij Apostolici , & Aula Lateranensis Comitem , aurata Militia Equitem , nobilem Romanum , & Vrbis Roma , omniumq . & singularum aliarum Ciuitatum , Terrarum , & Locorum S.R.E. Ciuem amplissimis cum priuilegijs , & exemptionibus , renunciavit : nec non eidem concessit , vt , honoris causa , Insignia Gentis Barberine , siue integrè , siue cum suis composita , gestare posset : & gratias gratijs addendo , ipsum Francisci Cardinalis , eiusdem Vrbani ex Carolo fratre nepotis , omni eleganti eruditione perpoliti , proborumq . fautoris eximij , cui tunc totius Ecclesiastici Status cura incumbebat , generalem Auditorem promulgauit . Mox Fausto Cafarello anno 1624 . ad S. Seuerinæ Archiepiscopatum promoto , Antonius vti Ciuis Ferrarensis inter sacri Consistorij Aduocatos ipsius Pontificis munificentia sedit , a quo præconia huiusmodi in Motu proprio promeruit . Nos volentes dilectum filium Antonium Cerrum Ciuem Papensem I. V. D. ex primarijs Romanæ Curiae Aduocatis , nostrum a Cubiculis verum , ac continuum Familiarem , & Commensalem , ac Reverendissimi Francisci S.R.E. Cardinali Barberini nostri secundum carnem ex germano fratre nepotis Auditorem generalem , notum apud Nos de literarum scientia , vite , ac morum honestate , alijsq . probitatis , & virtutum meritis multipliciter commendatum , horum intuitu fauore prosequigratio &c. Fisci , Cameræq . Apostolicæ Aduocatus renunciatus , Spadæ iuniori successit . Mox vita functa Antonij vxore , inter vtriusque Signaturæ Referendarios , cunct retentione Aduocationis Consistorialis , & Fisci , Cameræq . Apostolicæ , die 14. Augusti 1632 . adscriptus , & in sacra Rituum Congregatione Promotor Fidei pronunciatus . Post plurimos summis in Sedis Apostolicæ negotijs labores omni cum laude peractos , Congregationis super Confinibus Status Ecclesiastici Prælatus , a Secretis Contracedularum Cardinalis Vicecancellarij specialiter deputatus , varijsq . muneribus optimè perfunctus , tandem die prima Maij 1642 . in Vrbe , maximo sui desiderio relichto , mortalitatem expieuit . Vixerat Antonius Cerrus Iurisconsultus omnium consensu doctissimus , ingenij acumine , Iuriumq . peritia celeberrimus , & Senatus , Populusq . Romanus tertio Idus Aprilis eundem Perillustrem ( verba Priuilegij ) Virum Antonium Cerrum I. V. D. Papensem , & in Romana Curia Aduocatum , rebus omnibus ornatissimum , ex prisca , & nobili Familia de Cerris Papensi oriundum , virtutis , integratatisq . nomine praestantem , deg . Romano nomine optimè meritum , Romana Ciuitate donandum , inq . Senatorum Ordinem merito cooptandum censuit &c. quodq . iam ipse Antonius , quam omnes ab ipso venientes , Ciues , Nobiles , Patritijq . Romani , eodemq . iure essent , quo Ciues , Nobiles , Patritijq . Romani nati , decreuit . Vrbs verò Ferrariensis die 22. Decembris 1623 . Ciuem suum pariter esse voluit Antonium , cum omnibus suis filijs , ac descendantibus , attenta eiusdem generis dignitate , morum probitate , ingenij doctrina , fide , prudentia , & integritate in respondendo de iure , in legibusq . & indicijs administrandis . Ciuitas quoque Vrbuctana Patria mea tanti fecit Antonium Cerrum

Kk